



Universitätsbibliothek Paderborn

**Assertionvm Theologicarvm Sfortiae Pallavicini Sacræ
Theologiæ Professoris in Collegio Romano Societatis Iesv.
Libri Qvinque**

Pallavicino, Sforza

Romæ, 1649

Cap. 17. De augmento Charitatis. An fiat per actus naturales hominis iusti;
an saltem per omnes supernaturales.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38925

De Charitate, Cap. XVI. 315

benevolentiae latè acceptæ , vel
vitiosum crudelitatis. Et ideo
laudatur S.Blasius , qui belluis
faucijs medebatur .

C A P V T X V I I .

*De augmento Charitatis . An fiat
per actus naturales hominis iu-
sti; an saltem per omnes super-
naturales .*

235 **I**N hac quæstione ita
censemus : habitus
charitatis augetur per quosli-
bet actus non solum charita-
tis , sed aliarum virtutū super-
naturalium quātumvis remis-
sos ; neque est opus , quod
hi exerceantur cum toto cona-
tu , vel quod sint intēsiores ha-
bitu . Hic autem habitus non

O 2 au-

316 *Liber Tertius*
augetur per actus naturales ho-
minis iusti.

236 Probatur ultima pars,
quia si filius regis efficiat opus
commune villico, non meretur
per id præmium regale; ergo
similiter filio Dei adoptiuo fa-
cienti actum merè humanum,
non debetur præmium diuinū.
Et confirmatur, nam ad illud
opus naturale impertinenter se
habet tota dignitas hominis iu-
sti; ergo perinde est, ac si nul-
la esset. Eatenus enim dignitas
personæ auget meritum qua-
tenus vel est principiā influens
in ipsum meritū eo modo, quo
habitus supernaturales influunt
in suos actus, vel quatenus me-
rens, cognoscendo suam digni-
tatem vult facere illum actum,
bonum, qui ex hac cognitione
acci-

accipit maiorem estimationē. Cæterum si aliquis, nesciens se esse filium regis, strenuè pugnaret in bello tanquam priuatus miles, non mereretur nisi stipendium priuati militis, nec postea quam pateficeret eius conditio, posset conqueri de iniusta mercede. Sed actus naturalis nequè pendet ab influxu gratiæ, nequè supponit ex natura sua cognitionem veram de statu gratiæ in operante; ergo nullam accipit dignitatē à gratia. Confirmatur secundò; quoniam si semel admittamus in homine iusto meritum condignum gratiæ, & gloriæ per actus bonos naturales, vix appareret in eo vlla necessitas eliciendi actus supernaturales.

237 Iam probatur pri-
O 3 ma

prima pars superioris assertio-
nes, quod scilicet ad augmen-
tum habitus non requirantur
actus exerciti cum toto cona-
tu; nam alioquin ex duobus
inæqualiter operantibus , ali-
quando ille qui minus benè
operaretur, & qui esset minus
dignus, obtineret maius præ-
mium, quam alius, qui cum
haberet habitum charitatis lō-
gè maiorem , non adæquaret
eum per intensionem actus,
nec operaretur cum toto cona-
tu. Hoc vero est falsum , quia
quantitas bonitatis non habe-
tur ex proportione geometri-
ca, hoc est ex proportione ope-
rationis ad potentiā ; sed de lu-
mitur ex magnitudine arithme-
tica ipsius operationis : siquidē
ipsa maior potentia ideo est be-
nefi-

De Charitate, Cap. XIVI. 319

neficiū optabile , quia disponit
ad operationē arithmeticē ma-
iorē; cū tamen si vtilitas, & me-
ritū operationis deberent desu-
mī ex prædicta magnitudine
geometrica, & nō arithmeticā,
optabilius aliquando esset ha-
bere minorē dei gratiā & mi-
norē potentiā, quam maiorem.

238 Quòd demū (vt pro-
bemus primam partē) per quos-
cumque actus supernaturales
augeatur habitus charitatis, col-
ligitur primò authoritate Tri-
dentini sess. 6. can. 22. Si quis di-
xerit hominis Iustificati bona
opera ita esse dona Dei , ut non
sint etiam ipsius iustificati meri-
ta, aut ipsum iustificatum bonis
operibus , quæ ab eo per Dei gra-
tiam, & Iesu Christi meritum,
cuius membrum viuum est, sūnt,

O 4 non

320

Liber Tertius

non verè mereri augmētum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vi-
tae æternæ, si tamen in gratia de-
cesserit, consecutionem, atque
etiam gloriæ augmētum, anathe-
masit. Quæ verba cum vniuer-
sè loquantur de operibus bo-
nis pendentibus à gratia, non
debent restringi ad aliquam
classem eiusmodi operum.

239 Secundò idem suade-
tur, quia cū actus augeant ha-
bitus supernaturales non phy-
sicè, sed meritoriè, nullum
est absurdum, si actus superna-
turalis vnius virtutis intendat
habitus supernaturales aliarū.
Ex alia parte filius Dei operans
laudabiliter, vt filius Dei, mere-
tur magis amari à Deo, quàm
antea, ipsiq; vñiri strictiori vin-
culo amicitiæ; hæc autem fuit
per

De Charitate, Cap. XVII. 321
per augmentum gratiæ , &
gloriæ ; ergo meretur carum
augmentum.

CAPUT XVIII.

*De Infinito. Quid illud sit & an
sit possibile in numero, vel in
quantitate infinitum cathego-
rematicum, aut syncathegore-
maticum.*

240 **E**X superiori doctrinā
videtur sequi, esse
cōcedendā infinitā intensionē
charitatis , ex eo quod in tem-
pore sint infinitæ partes , & in-
finita instantia , & in quolibet
corum actus durans per horā
e.g. mereatur aliquod præmiū,
& quidē non indiuisibile,qua-
doquidem maius præmiū me-

O s retur